



**A** Delgagus eruditione, prudentia, & pietate reliquos suo tempore Germanos longe superabat. Itaque uacante sede Hamburgensi, eius locis antistes electus fuit. Postea quoque Otto Magnus Imperator eum suum Cancellarium elegit, atque res maximas imperij ei expediendas commisit. Cum etiam Otto in Italiam proficisceretur, hunc Adelgagum secum habuit, atque eius consilio usus, res maximas peregit. Interim uero Adelgagus suae ecclesiæ tutelam Hermanno Billingo duci Saxonie commisit, atque Romę in magna auctoritate fuit. Ibi enim Ioanne & Benedicto pontificibus depositis concilium celebrauit, atque Leonem Papam constituit, anno 965. Cum autem per quinque annos in Italia remoratus fuisset, atque crebris suarum ouium literis in patriam reuocaretur, tandem ueniam impetrans, pastor domum rediit. Adduxerat is Ottonis iussu Benedictum depositum pontificem secum Hamburgum, ubi etiam ille mortore confectus, paulo post obiit. Verum Adelgagus postea suam Ecclesiam prudenter diu administravit, atque eidem a Cæsare multas immunitates & privilegia impetravit: nam per quinquaginta annos trium Ottonum Cæsarum Cancellarius extitit. Albert. Crantz. in Metropol. lib. 2. ca. 8. 9. & libro 3. cap. 20.